

Krzysztof Ościłowski *OSPPE*

## CULTUS SANCTORUM SAECULIS IV-V

### 1. Introductio generalis ad cultum sanctorum

Antequam de cultu sanctorum saeculis IV et V inquiramus breviter initium et progressus eius demonstrabimus. Primum necesse est vocabulum *sanctus* et significationem eius explicare. Graeci et Latini hac voce usi sunt, sed significatio eius fuit alia ac christiana. Graeci et Romani multos deos honoraverunt sed eodem modo homines numquam coluerunt. In antiquitate multi viri vixerunt quorum ratio agendi ex potentia humana excessit. Huiusmodi actio incredibilis, ut videtur, solum cum auxilio deorum locum habuit. Hoc loco de viro heroico tantummodo dicere possumus.

Aetate Romana adiectivus *sanctus* pertinuit ad deos, ad homines et etiam ad res quibus societas Romana usa est ex. gr. portis urbis. Superlativus *sanctissimus* quoque invenitur, sed solum ad imperatorem attinuit. Vox *sanctus* igitur significare potest summam virtutum familiarium, indicare claram coniunctionem hominum et rerum cum deis. De templis, sanctuariis et etiam de prophetis dicimus<sup>1</sup>

In Vetere Testamento vocabulum *sanctus* (hebr. qodesh = sanctitas, res sanctae; qâdosh = sanctus) ad Deum et ad res divinas pertinuit<sup>2</sup>

---

<sup>1</sup> Cfr D. von der Nahmer, *Le vite dei santi* (= "Dabar" Saggi di storia religiosa, 12). Genova 1998 (ed. Germanica, Darmstadt 1994), pp. 3-4.

<sup>2</sup> Cfr Ch. Pietri, *L'évolution du culte des Saints aux premiers siècles chrétiens: du témoin à l'intercesseur*, in *Les fonctions des saints dans le monde occidental (IIIe-XIIIe siècles). Actes du colloque organisé par l'École française de Rome avec le concours de l'Université de Rome "La Sapienza", Rome 27-29 octobre 1988*, Roma 1991 (= Collection de l'École Française de Rome, 149), p. 17.

Israel populus sanctus vocatur<sup>3</sup> Deus etiam ad sanctitatem hortatur dicens: *sancti estote quia ego sanctus sum*<sup>4</sup>

In Novo Testamento vox *sanctus* raro Patri caelesti attributa est. Christus *sanctus Dei* nominatur<sup>5</sup> angeli sunt *sancti*<sup>6</sup> Homines etiam vocati sunt *sancti* ex. gr. Ioannes Baptista.<sup>7</sup> Patriarchae et prophetae, qui adventum Christi populo suo annuntiaverunt ut *sancti* honorati sunt. Paulus etiam apostolos nominat *sanctos*<sup>8</sup> Vox *sanctus* in numero plurali conventum fidelium, id est Ecclesia significat. Omnes, qui baptizati sunt, *sancti* quoque vocati sunt<sup>9</sup>

Quod ad cultum sanctorum sensu christiano pertinet exeunte II saeculo incipit. Ab cultu mortuorum originem ducit, qui in familia et in minoribus societatibus honorabantur. Tempore persecutionis saepe *sancti* vocati sunt martyres, id est fideles qui vitam suam propter fidem in Christo dederunt. Multi ritus quibus in cultu mortuorum usi sunt, ad cultum martyrum etiam accommodati sunt. Christiani modo peculiari sepulcra martyrum honoraverunt. Rationes quae huiusmodi cultum incitaverunt profecto christianae fuerunt. Inter eas praevaluit fides in intercessionem sanctorum, qui iam prope Deum adsunt et pro nobis deprecari possunt. Christiani corpora sanctorum suorum diligentissime servabant, quam ob causam corpus terrae reddiderunt et non cremaverunt<sup>10</sup>

Hagiographia primorum saeculorum in progressu cultum martyrum extollebat. In primis acta publica et iudicialia martyrum sunt: *Acta* vel *Gesta martyrum*, deinde testimonia: *Passiones* vel *Martyria* et postremo narrationes<sup>11</sup> Nonnulla enumeranda sunt ut ex. gr.: *Acta sancti Iustini et sociorum eius*, *Acta martyrum Scillitanorum* (die 17 Iulii anno 180), *Martyrium Polycarpi* (die 23 Februarii anno 155), *Acta Proconsularia* martyrii sancti Cypriani, epistula Ecclesiarum Viennae et Lugduni ad Ecclesias Asiae et Phrygiae (anno 177), *Passio Sanctarum Perpetuae*

<sup>3</sup> Cfr Ex 19, 6; Dt 7, 6.

<sup>4</sup> Cfr Lv 11, 44.

<sup>5</sup> Cfr Mc 1, 24; Lc 4, 34.

<sup>6</sup> Cfr Lc 9, 26; Act 10, 22; Apc 18, 20.

<sup>7</sup> Cfr Mc 6, 20.

<sup>8</sup> Cfr Eph 3, 5.

<sup>9</sup> Cfr H. Delehaye, *Sanctus. Essai sur le culte des saints dans l'antiquité*, Bruxelles 1927 (= *Studia hagiographica*, 17), pp. 24-25.

<sup>10</sup> J. Danielou, H. Marrou (edd.), *Nuova storia della Chiesa*, 1, Torino 1976<sup>2</sup>, p. 371.

<sup>11</sup> Cfr *Atti e Passioni dei Martiri*, ed. A. A. Bastiaensen et Alii, Milano 1967; H. Musurillo, *The Acts of the Christian Martyrs*, Oxford 1972. Vide etiam nonnulla studia G. Lazzati, *Gli sviluppi sulla letteratura di martiri nei primi quattro secoli*, Torino 1956; G. Lanata, *Gli Atti dei martiri come documenti processuali*, Milano 1973.

et *Felicitatis* (die 7 Martii anno 203)<sup>12</sup> et alia. *Passiones* in festo martyris publice legebantur.

Saeculo IV post aetatem persecutionum aliae formae sanctitatis floruerunt.

## 2. Exempla sanctitatis saeculis IV et V

Cultus sanctorum in Oriente et in Occidente saeculo IV cedit. In initio, ut supra diximus, martyres colebantur.

Post persecutiones, tempore pacis christiani novas formas vitae sanctae incepterunt et uno verbo confessores vocati sunt. Confessores sunt omnes sancti qui vitam suam Christo dedicaverunt et eum imitati sunt. Saeculo IV confessores fuerunt: monachi, sancti episcopi, virgines et sanctae mulieres<sup>13</sup>

Vita monastica<sup>14</sup> in Aegypto exeunte III saeculo incipit sed progressa est saeculis IV et sequentibus. Hic novus motus in Ecclesia pertinuit ad laicos, qui causa spiritalis vitae in desertum adierunt, ut vitam suam in solitudine cum Deo agerent. Primi imitatores huiusmodi formae vitae christianae varie vocabantur: *apotaktitai*, *ascites*, *monàzontes*, *monachòi*. Praevaluit vox *monachòs*, *monachus*<sup>15</sup>

Monachus notissimus est sanctus Antonius (m. 356). Vita eius a s. Athanasio, probabiliter statim post mortem Antonii, descripta est. Ante annum 375 iam duae translationes Latinae vitae sancti Antonii exstiterunt. Multi imitatores in Aegypto sanctum Antonium secuti sunt. Sanctus Hieronymus etiam inter annos 385-390/91 tres vitas anachoretarum Pauli, Malchi et Hilarionis scripsit.

Praeter eremitas postera floruit quoque coetus coenobitarum, quos finis communis et regula coniunxerunt. Vita coenobitica igitur incipit et Pachomius huius formae vitae fuit pater. Coenobitae vixerunt solitarii, quisque in domicilio proprio habitavit et solum conveniebant ut cibum

<sup>12</sup> Quod ad textum Graecum et editionem criticam pertinet, vide *Passio Perpetuae*, ed. E. J. Amat, SCh 417, Paris 1996.

<sup>13</sup> De sanctitate deque novis exemplis eius, vide V. Saxer, *La figura del santo nell'Antichità cristiana*, in *Santità e agiografia*. Atti dell'VIII Congresso di Terni, Genova 1991 (= Ricerche, Studi e Strumenti, 24), pp. 25-33.

<sup>14</sup> De initiis et de progressu vitae monasticae, vide I. Gobry, *Storia del monachesimo*, 1-2, Roma 1991; G. M. Colombás, *El monacato primitivo. Hombres, hechos, costumbres, instituciones*, 1-2, Madrid 1974-75.

<sup>15</sup> Cfr G. Filoramo, D. Menozzi (edd.), *Storia del cristianesimo. L'antichità*, Roma-Bari 1997, p. 381.

caperent et coniunctim orarent. Coenobitae opera propriis manibus faciebant et terram monasterii colebant. Clarissimum corpus normarum vitae coenobitarum est *Regula Pachomii*.

Vita monastica non solum in Aegypto sed etiam in Palaestina, Syria et Constantinopoli floruit. Praeclari monachi Palaestineses IV saeculo sunt sanctus Hilario, sanctus Euthimius, sanctus Saba. In Syria sanctus Iulianus Saba, sanctus Publius et sanctus Aphrahas vixerunt. Animadvertendum est vitam monasticam etiam in Cappadocia floruisse et Basilium Caesariensem magnam curam de hac forma vitae habuisse.

Ex Oriente vita monastica pervagatur in Occidentem, praesertim *Vitae Patrum Desertorum*, quae saepe in translatione Latina pervaserunt ad communitates christianas in Europa<sup>16</sup> Primae formae huiusmodi rationis vivendi in Occidente etiamsi aliquantulum in forma alia invenimus Aquileiae, in Campania, in Gallia, in Burgundia et etiam in Africa. Romae pia mulieres monachae prope sanctum Hieronymum congregatae sunt. Turonis vitam monasticam sanctus Martinus episcopus urbis incepit. Martinus fuit quoque primus in Occidente episcopus-monachus et ab eo originem ducit huiusmodi nova forma vitae sanctae. Simile iter vitae Paulinus episcopus Nolanus elegit, qui in urbe Nolana monasterium condidit.

Animadvertendum est non solum viros exemplum sanctitatis dedisse, sed etiam multas sanctas mulieres<sup>17</sup>, ex. gr. martyres, quae in persecutionibus occisae sunt. Patres Orientales nonnullis martyribus homilias suas dedicaverunt. Ita Basilus Caesariensis de martyre Iulitta dixit<sup>18</sup>, Ioannes Chrysostomus autem de sancta Pelagia virgine et martyre<sup>19</sup> deque sancta Droside homilias<sup>20</sup> Post martyres novum exemplum sanctae mulieris floruit, virginis et deinde monachae<sup>21</sup> Exeunte IV saeculo motus monasticus quoque ad mulieres pertinet. Hoc loco enumerare possumus pias sorores Patrum Cappadociae, scilicet Macrinam sororem maiorem

<sup>16</sup> Cfr S. Pricoco, *Il monachesimo in Italia dalle origini alla regola di San Benedetto*, in *La cultura in Italia fra tardo antico e alto medioevo. Atti del Convegno tenuto a Roma, Consiglio Nazionale delle Ricerche, dal 12 al 16 Novembre 1979*, 2, Roma 1981, p. 636.

<sup>17</sup> De sanctis mulieribus in antiquitate christiana, vide A. M. Talbot, *Essere donna e santa*, in S. Gentile (ed.), *Oriente cristiano e santità: figure e storie tra Bisanzio e l'Occidente*. Milano 1998, pp. 61-68.

<sup>18</sup> Cfr Basilus, *Homilia in martyrem Iulittam*, PG 31, coll. 237-262.

<sup>19</sup> Cfr Ioannes Chrysostomus, *De s. Pelagia virgine et martyre*, PG 50, coll. 579-584.

<sup>20</sup> Cfr Idem, *De s. Droside martyre*, PG 50, coll. 683-694.

<sup>21</sup> Cfr V. Saxer, *La figura del santo nell'Antichità cristiana*, p. 31.

Gregorii Nysseni, Gorgoniam sororem Gregorii Nazianzeni, pias mulieres quae secutae sunt Hieronymum Romae et Bethleem, scilicet Marcellam et discipulas eius Paulam et filias eius, Melaniam.

In Oriente quoque saeculo IV novum exemplum dederunt sancti stylitae. Simeon (n. c. 389, m. 459) qui originem duxit ex parvo oppido inter Syriam et Ciliciam fuit conditor huiusmodi formae vitae. Ipse 30 annos super columnam vixit. Multos imitatores eius in Syria, Aegypto, Palaestina, Asia Minore, Graecia invenimus, ex. gr. Daniele Constantinopolitanum (m. 493), Simeonem stylitam minorem (m. 592), Alipium (saeculo VII)<sup>22</sup>

Exempla sanctorum virorum mulierumque et varia itinera ad sanctitatem homiliis et hymnis in honorem eorum scriptis cognoscimus. Opuscula de sanctis celeriter propagata sunt inter varias societates christianas saeculis IV et V quam ob causam cultus sanctorum progressus est non solum in locis, ubi vixerunt vel sepulcra eorum fuerunt, sed etiam in aliis multis locis vel longinquis.

Animadvertendum est cultum Mariae matris Christi, Ioannis Baptistae et etiam Angelorum saeculis IV et V floruisse. In Oriente saeculo IV Maria plene honorata est. Festum Annuntiationis, novem menses ante Nativitatem Christi, dies Purificationis Mariae, quadraginta dies post Nativitatem Christi celebrata sunt<sup>23</sup>

In Oriente primum centrum christianum cultus sancti Michaelis archangeli in Phrygia fuit in Asia Minore saeculis II et III, sed progressus huius cultus IV saeculo Constantinopoli incipit. Statim ecclesiae et basilicae in honorem archangeli aedificatae sunt. Sollemnitas sancti Michaelis die 8 mensis Septembris quotannis celebrata est. Ex Oriente cultus Michaelis archangeli ad Occidentem venit, ubi saeculo V, praesertim in Italia Mediolani, Romae, Genuae, Ravennae et Perusiae ecclesiae eidem dedicatae sunt. Festum sancti Michaelis die 29 mensis Septembris celebratum est<sup>24</sup>

---

<sup>22</sup> De Simeone stylita deque aliis imitatoribus eius, vide M. Kaplan, *Forme di ascesi tra originalità e contestazione*, in S. Gentile (ed.), *Oriente cristiano e santità: figure e storie tra Bisanzio e l'Occidente*, op. cit., pp. 53-60.

<sup>23</sup> Cfr A. Quacquarelli, *Reazione pagana e trasformazione della cultura (fine IV secolo d. C.)*, Bari 1986 (= Quaderni di «Vetera Christianorum», 19), p. 51.

<sup>24</sup> Cfr L. Renzo, *Culti popolari in Calabria. La liturgia, la Madonna e i santi*, Cosenza 1993, p. 157.

### 3. Formae cultus

#### 3.1. Refrigeria

Formae cultus sanctorum magna ex parte originem duxerunt ex moribus quibus pagani e vita functos mortuos honorabant. Primum enumerandae sunt epulae prope sepulcrum defuncti quotannis in anniversario celebratae. Huiusmodi convivia in honorem mortuorum et peculiariter martyrum *refrigerium* vocabatur. Epulae quae ante sepulcrum factae sunt reliquiae habentur morum antiquorum et fons persuasionis de vita materiali animae in sepulcro. Haec convivia generatim saeculo IV adhibita sunt, sed eadem a episcopis examinata sunt<sup>25</sup> Epulae in Africa etiam exeunte IV saeculo factae sunt. Usus refrigerii significationem peculiarem habuit et participationem in convivio caelesti indicavit. Huiusmodi significatio ad Eucharistiam spectans in sollemnitate sancti martyris clarior evasit.

Tamen saepissime refrigeria religionem superstitiosam expresse-  
runt et necessitatem cibandi mortuos significaverunt<sup>26</sup> Haec significatio  
superstitiosa convivorum ante sepulcrum sanctorum Ecclesiam ad agen-  
dum coegit. Anno 397 concilium Carthaginense de epulis legem posuit,  
quae christianis prohibuit ut convivia ante sepulcrum celebrarentur. Haec  
ad totam ecclesiam in Africa pertinuerunt. Anno 401 autem alterum  
concilium Carthaginense refrigeria ut res paganas descripsit<sup>27</sup> Haec con-  
vivia anno 395 in societate Hipponensi vetita sunt<sup>28</sup>

Refrigeria facta sunt quoque in Europa, praesertim in Italia. Augustinus de eis narrat in opere cui titulus est *Confessiones* dicens Monicam matrem suam Mediolani epulas ante sepulcrum mortuorum fecisse. Ambrosius episcopus Mediolanensis autem non permisit, ut cibum ad sepulcrum ferret ut Monica in Africa agere solebat<sup>29</sup>

<sup>25</sup> Cfr G. Filoramo, D. Menozzi (edd.), *Storia del cristianesimo. L'antichità*, p. 367.

<sup>26</sup> Cfr J. Danielou, H. Marrou (edd.), *Nuova storia della Chiesa*, p. 372.

<sup>27</sup> Cfr V. Saxer, *Morts, martyrs, reliques en Afrique chrétienne aux premiers siècles*, Paris 1980 (= *Théologie historique*, 55), pp. 142.

<sup>28</sup> Cfr *ibidem*, p. 144.

<sup>29</sup> Cfr Augustinus, *Conf.* 6, 2: *Itaque cum ad memorias sanctorum, sicut in Africa solebat, pultes et panem et merum adtulisset atque ab ostiario prohiberetur, ubi hoc episcopum vetuisse cognovit, tam pie atque oboedienter amplexa est, ut ipse mirarer, quam facile accusatrix potius consuetudinis suae quam disceptatrix illius prohibitionis effecta sit*, CSEL 33/1, pp. 114-115.

### 3.2. Dies natalis

In primis sollemnitatis cuiusdam sancti celebrabatur die, quo sanctus mortuus erat, scilicet ad vitam aeternam transierat. Christiani qui in vitam aeternam credebant, diem mortis putaverunt diem nativitatis ad caelum. Ideo hic dies vocatus est *dies natalis*<sup>30</sup> *Die natali* in honorem sancti sacrae caeremoniae sollemnes celebrabantur. Accidit ut sacri ritus in *die natali* vigilia nocti praepararentur.

*Dies natalis* in loco cultus martyris seu confessoris significationem peculiarem habuit. Hic locus fuit sepulcrum sancti et basilica in qua sacri ritus agebantur. Episcopus cum presbyteris suis eucharistiam celebrabat in qua multitudo fidelium et peregrinorum participabant.

In liturgia panegyrici in Oriente, in Occidente autem passionem legebantur. Panegyricus fuit sermo in quo modo sollemni narrata sunt tormenta martyris et mors eiusdem ob Christum. Panegyrici scriptorum christianorum antiquorum saepe exemplum ceperunt ex huius generis operibus auctorum classicorum paganorum. Patres Cappadoci novum animum ad hoc genus litterarium introducunt. Gregorius Nyssenus quinque panegyricos de martyribus scripsit, duo in honorem sancti Stephani<sup>31</sup> duo in quadraginta martyres Sebastenses<sup>32</sup> et unum in honorem sancti Theodori<sup>33</sup> Quinque panegyrici indicant notam communem, scilicet martyr est *homo Christi*<sup>34</sup>

Dimidia parte IV saeculi in liturgia nomina martyrum edita sunt. De usu horum nominum in sacris caeremoniis Romae anno 336 *Depositio episcoporum* et *Depositio martyrum* testantur<sup>35</sup>

### 3.3. Depositio ad sanctos

Exeunte IV saeculo Africa Septentrionalis *depositione ad sanctos* usa est<sup>36</sup> Sanctus vocabatur patronus et ei deprecatio peculiaris in caelis

<sup>30</sup> *Dies natalis* radices in litteris Graecis Latinisque habet, apud auctores paganos dies nativitatis hominis est.

<sup>31</sup> Cfr Gregorius Nyssenus, *Opera quae reperiri potuerunt omnia*, PG 46, coll. 701-736.

<sup>32</sup> Cfr *ibidem*, coll. 749-788.

<sup>33</sup> Cfr *ibidem*, coll. 735-748.

<sup>34</sup> Cfr A. Quacquarelli, *Reazione pagana e trasformazione della cultura (fine IV secolo d. C.)*, p. 66.

<sup>35</sup> Cfr V. Saxer, *Martyr*, in *Dictionnaire Encyclopedique du Christianisme Ancien*, 2, p. 1573.

attributa est. Huiusmodi deprecatio duos modos agendi habuit: personaliter sanctum appellans seu per depositionem mortui prope sepulcrum sancti patroni. Hoc modo sanctus benigne accipit mortuum, qui deprecationem rogavit et advocatum eius die summi iudicii erit. Quam ob causam multi homines post mortem sepeliri desiderabant prope corpus sancti patroni id est prope sepulcrum eius. Exempli causa sanctus Ambrosius humavit Satyrum fratrem suum a latere sepulcri sancti Victoris<sup>37</sup>

Patres Ecclesiae saepe consilium petiverunt quod ad depositionem ad sanctos pertinuit. Postea anno 421, Paulinus Nolanus interrogavit Augustinum de sententia eius de rationibus theologicis pro et contra hos ritus. Paulinus autem permisit ut nobilis christianus, rogatu Florae matris eius, in proximitate sepulcri sancti Felicis Nolani sepeliretur. Animadvertendum est Paulinum etiam sepelisse filium suum prope sanctos Complutenses<sup>38</sup>

Sanctus Augustinus argumentum de depositione ad sanctos tractavit in opere cui titulus est *De cura pro mortuis gerenda*.

### 3.4. Loca cultus

Cultus christianus sanctorum in magnis coemeteriis locum habuit, quae extra muros urbium Romanarum erant. Sepulcra martyrum vel confessorum igitur inter pagana inveniuntur. Aedificata sunt monumenta simplicia ut stella commemorationis et sanctuaria<sup>39</sup> Praeter loca communia christiani coemeteria sua habuerunt. Societas christiana Romae iam in initio saeculi III proprium coemeterium possedit quod diaconus Callistus curavit.

Dimidia parte IV saeculi et V saeculo cultus sanctorum floruit, quam ob causam mutationes necessariae fuerunt. Communitates christianae semper sepulcra sanctorum honoraverunt, praesertim post aetatem persecutionum. Multitudo fidelium prope sepulcrum sancti patroni congregari non potuit ideo christiani novam solutionem quaesiverunt. In sepulcris saepe basilicas seu sanctuaria aedificata sunt. In initio saeculi V

<sup>36</sup> Quod ad *depositionem ad sanctos* pertinet, vide Y. Duval, *Sanctorum sepulcris sociari*, in *Les fonctions des saints dans le monde occidental (IIIe-XIIIe siècles)*. Actes du colloque organisé par l'École française de Rome avec le concours de l'Université de Rome "La Sapienza", op. cit., pp. 333-351.

<sup>37</sup> Cfr G. Zulli, *S. Ambrogio e il culto dei santi: culto dei martiri e delle loro reliquie*, Roma 1945, p. 53.

<sup>38</sup> Cfr P. Brown, *Il culto dei santi*, Torino 1983 (ed. Anglica, Chicago 1981), pp. 40-41.

<sup>39</sup> Cfr G. Filoramo, D. Menozzi (edd.), *Storia del cristianesimo. L'antichità*, p. 367.

in urbe Tebessa in Africa constructum est in coemetrio magnum centrum peregrinationis probabiliter circa sepulcrum sanctae Crispinae<sup>40</sup> Saeculo IV in sepulcro sancti Petri in honorem eiusdem magna basilica Romae aedificata est. Prima parte saeculi V Paulinus Nolanus prope sepulcrum sancti Felicis magnum complexum aedificiorum construxit, qui aetate nostra etiam Cimitile vocatur.

Saeculo V corpora et reliquiae sanctorum saepe translata sunt ad ecclesiam urbanam, ubi sub altaria vel aliis locis deposita sunt. Ad hoc sepulcrum in urbem peregrini venerunt ut honorem sancto darent et intercessionem eius vocarent. Cultus sanctorum igitur in urbe incipit.

### 3.5. Cultus reliquiarum

Cum cultu sanctorum coniungitur nempe cultus reliquiarum. In principio christiani totum corpus sancti ut reliquiam habebant. Corpus sancti in sepulcro deponeretur, ibi deinde secundum memorias a maioribus traditas honorabatur. Prohibitum erat reliquias dividere, partes in alia loca ferre et res commercii esse. Haec vetita scripta sunt in iure civili in Codice Theodosiani anno 386<sup>41</sup> Huiusmodi mores ad Romanos pertinuerunt.

In Oriente translationes et divisiones reliquiarum saepe factae sunt. Translatio reliquiarum sancti Babylae ad Antiochiam (351-354) et deinde Constantinopolim prima fuit. Anno 356 prima translatio sollemnis reliquiarum sancti Timothei locum habuit et anno proximo translatio reliquiarum sanctorum Andreae et Lucae Alexandria Constantinopolim fuit<sup>42</sup> Constantinopolitani quoque saeculis IV et V multas reliquias aliorum sanctorum acceperunt. Anno 415 in Palaestina inventum est sepulcrum Stephani, de quo *Actus Apostolorum* in capitibus 6 et 7 narrant. Reliquiae sancti Stephani translatae sunt Hierosolymam et depositae sunt in basilica aedificata temporibus Iuvenalis episcopi. Reliquiae sanctorum ubique inventae sunt, in Africa et in Europa<sup>43</sup>

In Occidente ius divisionem et translationem reliquiarum prohibuit, sed anno 385 Mediolani Ambrosius invenit reliquias sanctorum Protasii et Gervasii et post duos dies easdem ex sepulcro sanctorum Felicis et Narbonis ad novam basilicam transtulit et sub altaribus collocavit. Haec

<sup>40</sup> Cfr P. Brown, *Il culto dei santi*, p. 16.

<sup>41</sup> Cfr G. Filoramo, D. Menozzi (edd.), *Storia del cristianesimo. L'antichità*, p. 369.

<sup>42</sup> Cfr G. Zulli, *S. Ambrogio e il culto dei santi: culto dei martiri e delle loro reliquie*, p. 16.

<sup>43</sup> Cfr G. Filoramo, D. Menozzi (edd.), *Storia del cristianesimo. L'antichità*, p. 370.

translatio cum multitudine fidelium celebrata est<sup>44</sup> Anno 395 Mediolani inventio sanctorum Nazarii et Celsi locum habuit. Similis inventio martyrum Agricolae et Vitalis Bononiae anno 393 fuit<sup>45</sup> Cultus sanctorum etiam aliis locis floruit. Ita Ambrosius reliquiae Gervasii et Protasii Victricio episcopo Rotomagensi obtulit. Simili modo in Gallia honorati sunt. Paulinus Nolanus quoque reliquias sanctorum Mediolanensium accepit, et ex Nola reliquias ad Thuringiam et ad Galliam Septentrionalem Sulpicio Severo et Victricio misit<sup>46</sup>

Animadvertendum est reliquias etiam fuisse res quae contactum cum sepulcro habuissent: "brandea, palliola, sanctuaria" Haec ut reliquiae verae honoratae sunt<sup>47</sup>

#### 4. Conclusio

Haec brevis dissertatio, quaedam perscrutans exempla, formam cultus sanctorum saeculis IV et V eiusque progressionem demonstrat. Vocabuli *sanctus* notionem in mundo Graeco et Latino explanat. Deinde vero de eodem substantivo in Sacris Scripturis Veteris et Novi Testamenti tractat. Descriptio vocis *sanctus*, potissimum eius christiana definitio, valde cultui sanctorum apud christianos antiquae aetatis penitus intelligendo prodest.

Cultus qui in principio ad martyres pertinebat, deinde alias formas induit. In primis de progressu cultus sanctorum tractamus saeculis IV et V, id est post edictum Mediolanense, aetate videlicet qua christiana religio paulatim religio publica considerabatur. Saeculo IV martyres colebantur, sed etiam novae apparuerunt sanctitatis formae; agitur praesertim de iis quos veluti confessores definire possumus. Sunt omnes qui fidelitatem erga Christum in cotidiana vita et tempore in Ecclesiam vexationum demonstraverunt: monachi, episcopi, virgines et aliae piaae mulieres.

Deinde alias cultus formas describere conati sumus. Partem dissertationis refrigeriis dicavimus, epulis videlicet prope sepulcra mortuorum,

<sup>44</sup> Cfr P. Brown, *Il culto dei santi*, pp. 51-52.

Cfr G. Zulli, *S. Ambrogio e il culto dei santi: culto dei martiri e delle loro reliquie*, p. 20.

<sup>46</sup> Cfr G. Filoramo, D. Menozzi (edd.), *Storia del cristianesimo. L'antichità*, p. 371.

Cfr G. Zulli, *S. Ambrogio e il culto dei santi: culto dei martiri e delle loro reliquie*, p. 18.

nec non diei festo sancti, locis cultus, depositioni mortuorum prope sepulcra sanctorum patronorum et cultui sanctorum reliquiarum.

Optandum omnino est ut haec dissertatio de cultu sanctorum saeculis IV et V eiusque primordiis et evolutione, cognitionem cultus sanctorum hac etiam nostra aetate foveat.

## KULT ŚWIĘTYCH W WIEKACH IV i V

### Streszczenie

Artykuł przedstawia w sposób ogólny rozwój kultu świętych w IV i V wieku. Podstawowym pojęciem jest samo słowo *święty*, które miało różne znaczenie w świecie antycznym, zarówno greckim, jak i rzymskim, i odnosiło się do bóstw, ludzi i rzeczy. W Biblii określenie *święty* odnosi się do Boga, Chrystusa, aniołów i ludzi. Spośród tych ostatnich należy wyróżnić: patriarchów, proroków, apostołów i licznych wiernych, zwłaszcza tych, którzy są ochrzczeni.

Początki kultu świętych sięgają końca II wieku i dotyczą przede wszystkim męczenników, którzy ponieśli śmierć za wiarę w Chrystusa w okresie prześladowań chrześcijan. Świadczą o nich opisy Męczeństw (*Passiones*) oraz Akta męczenników (*Acta martyrum*).

W IV wieku na Wschodzie i Zachodzie kult świętych przybiera inne formy, zwłaszcza gdy kończy się czas prześladowań, a chrześcijaństwo staje się religią oficjalną. Pojawiają się święci wyznawcy (*confessores*), którymi są mniisi, duchowieństwo, dziewice czy inni święci: mężczyźni i kobiety.

Nową formą życia jest ruch monastyczny i cenobicki, który ma swoje początki na Wschodzie, a następnie zostaje przeszczepiony na grunt zachodni. Założyciele tych nowych form życia ascetycznego piszą reguły dla swoich uczniów i naśladowców, a w literaturze hagiograficznej pojawiają się liczne opisy żywotów świętych mnichów. Ponadto w IV i V wieku obserwuje się także szczególnie kult Maryi, Jana Chrzciciela czy aniołów, zwłaszcza Michała archanioła.

Kult świętych posiada swoje charakterystyczne cechy. Na uwagę zasługują *refrigeria* - uczty, które odbywały się w pobliżu lub na grobach zmarłych w rocznicę ich śmierci. Zwyczaj ten - przejęty z pogaństwa - szybko jednak zostaje przez hierarchów Kościoła zabroniony.

Szczególnym dniem, w którym czczono świętego jest *dies natalis* - jego dzień narodzin dla nieba. Uroczysty charakter tego dnia podkreślało nabożeństwo liturgiczne odprawiane w miejscu kultu świętego, pod przewodnictwem

miejscowego biskupa i jego kleru z licznym udziałem wiernych. W czasie tych uroczystości odczytywano opisy męczeństwa (w przypadku męczenników) lub dzieła o charakterze panegirycznym (w odniesieniu do wyznawców).

Kult sprawowany był najczęściej w bazylikach czy sanktuariach, które budowano w miejscach pochówku poszczególnych świętych. Z tymi miejscami związana jest kolejna forma kultu, która wyrażała się w tym, iż grzebano bliskich zmarłych w pobliżu grobów świętych patronów tzw. *depositio ad sanctos*. Wierzono, że bliska obecność świętego wyjedna zmarłym jego wstawiennictwo w niebie.

Nową formą kultu świętych staje się kult relikwii. Choć w IV wieku rzymskie prawo cywilne zabraniało dzielenia relikwii, przenoszenia ich w inne miejsca, czy co gorsza ich sprzedaż, to na Wschodzie zdarzają się liczne przypadki translacji i dzielenia relikwii. Mimo zakazów proces przenoszenia i dzielenia relikwii obserwuje się także na Zachodzie.